

a castris lignatum pabulatumque progressos exciperet sed
ipsis obequitaret castris inuectusque in medias saepe stationes
5 omnia ingenti tumultu turbaret. Noctibus quoque saepe in-
cursu repentino in portis ualloque trepidatum est nec aut
locus aut tempus ullum uacuum a metu ac sollicitudine erat
6 Romanis, compulsique intra uallum adempto rerum om-
nium usu. Cum propè iusta obsidio esset futuramque artio-
rem eam appareret, si se Indibilis, quem cum septem mili-
bus et quingentis Suessetanorum aduentare fama erat, Poenis
7 coniunxisset, dux cautus et prouidens Scipio uictus necessita-
tibus temerarium capit consilium, ut nocte Indibili obuiam
iret et quocumque occurrisset loco proelium consereret.
8 Relicto igitur modico praesidio in castris praepositoque Ti.
Fonteio legato media nocte profectus cum obuiis hostibus
9 manus conseruit. Agmina magis quam acies pugnabant ;
superior tamen, ut in tumultuaria pugna, Romanus erat.
Ceterum et equites Numidae repente, quos fefellisse se dux
ratus erat, ab lateribus circumfusi magnum terrorem intulere,
10 (et) contracto aduersus Numidas certamine nouo tertius in-
super aduenit hostis, duces Poeni adsecuti ab tergo iam
pugnantes ; ancepsque proelium Romanos circumsteterat
incertos in quem potissimum hostem quamue in partem
11 conferti eruptionem facerent. Pugnanti hortantique impera-
tori et offerenti se ubi plurimus labor erat latus dextrum
lancea traicitur ; cuneusque is hostium, qui in confertos circa
ducem impetum fecerat, ut exanimem labentem ex equo
Scipionem uidit, alacres gaudio cum clamore per totam
aciem nuntiantes discurrunt imperatorem Romanum ceci-